1. [illegible] Académica de [illegible] [illegible] [illegible] Barcelona
[illegible] [illegible] = [illegible] [illegible] - 1783.

2. Discurso político pronunciado por D. [illegible] [illegible] [illegible]
en la Sociedad patriótica de Sevilla en 23 de Noviembre de 1781

3. [illegible] de F. José [illegible] [illegible] [illegible] de [illegible] en 1600

4. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
F. Juan de Todos los Santos.

5. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

6. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Misiones de America.

7. Sobre las causas de los Terremotos, y [illegible] [illegible] [illegible]

8. Explicacion de las rúbricas del breviario

9. Elogio de F. Pablo de [illegible] General de Capuchinos

10 Estatutos de la Congregacion de [illegible]

11 Oracion dicha por D. Fran.co de [illegible] en la apertura de la [illegible]
+ Sevilla en 1781

13. Discurso del Sr. D. Ignacio [illegible] en la apertura del Colegio de
[illegible] [illegible] [illegible] 1783.

12 + Dictamen de la Academia Médico
Práctica de Barcelona sobre muertes
repentinas.



✠ /

INSTITUTIO ACADEMICA DE VERA VATICINII DOCTRINA AD SACROS PROPHETARUM LIBROS UTILITER EVOLVENDOS

IN REGIA HISPALENSI ACADEMIA

A BACC. JOSEPHO MARIA ROLDAN,

JOSEPHO ANDREA DE ROXAS,

THEOLOGIAE DOCT., AC SACRAE SCRIPTURAE INTERPRETE,

SUPPETIAS EI FERENTE,

pro anniversaria concertatione defendenda

KALENDIS OCTOBRIS

Anno M. DCC. XCIII.

Hispali : Apud D. Felicem de la Puerta , Typographum.

Supperiorum permissu.

VEtus opinio est, (*a*) jam usque ab heroicis ducta temporibus, et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines scientiam rerum futurarum. Harum igitur praedictiones, ac praesensiones vaticinia solent appellari, quae *nil aliud declarant, nisi hominibus ea, quae sint, ostendi, monstrari, portendi, praedici.* (*b*)

Ut autem recto ordine procedamus, praemittamus opportet, *vaticinium esse rerum futurarum praedictionem, ex earum praecognitione manantem.* (*c*) Quod sic definitum esse volumus, ut omnium rerum futurarum quâcumque ex causa praesensionem comprehendamus. In universum triplex est, ut ex S. Thoma colligere, licet; (*d*) hominis, daemonis, et Dei: sive triplex est causa, ex qua homo potest futura praenuntiare. Aut enim ipsíus hominis ingenio, ac scientiâ id efficitur; aut

arte,

(*a*) Tull. l. 1. de Div.
(*b*) lib. 2. de nat. Deor.
(*c*) Castr. in Isag.
(*d*) In cap. 1. ad Rom. lect. 2.

arte, opeque daemonis; aut denique Divini Spiritus supernaturali afflatu humanae menti immutabili veritate futura ostendentis. Primus modus *naturalis*; alter *artificiosus*, sive *divinatio*; postremus *Prophetía* nuncupatur. De his ergò tribus praedictionum generibus brevitèr disseremus. At cum duo priora creatae inteligentiae vires non excedant, tamquam ad unum genus revocamus: itaque omnem nostram tractationem in duas veluti partes dividemus; quarum prima quidquid utilius ad praedictionem naturalem, et artificiosam, sive divinationem pertinens complectetur. Altera quae digniora, proprioraque de Prophetía videantur, uberiori calamo pertractabit. Iam verò de singulis sermonem instituimus.

PARS I.

De Vaticinio naturali, et artificioso.

CAPUT I.

De praedictione rerum naturali.

I. QUaecumque futura praedicenda sint, sive in se ipsis, sive in eorum causis praevidentur: illorum cognitio uni Deo propria est, *qui omnes vias hominis praevidit*, (*a*) *et novit antequam fiant:* (*b*) aliorum autem, etsi non omnium, in suis causis praesensionem homini propriam esse, eamque intellectus humani vires non excedere, nemo est, qui ámbigat. Ita sanè Medici aegrorum sanitatem, aut mortem imminentem ex causis naturalibus solent praenuntiare. At verò cum ista necessaria non sint, sensusque hominis saepius hallucinentur, quae ventura praesentiunt homines, fallibilia sunt, deficereque possunt, immò certè, et non rarò deficiunt.

II. At haec cum ex consideratione causarum, signorumque procedant, ideò conjecturae potius, quam rerum praedictiones dicenda sunt. Cumque vaticinatio propriè, ac strictè, non conjectandi, sed praedicendi facultas sit, quasi res in se ipsis videantur, vim nullam naturalem praedicendi futura hominibus inesse, pro re comperta, ac explorata haberi, debet. Meritò igitur Dominus idola irridet: *annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.* (*c*)

III. Decipiuntur igitùr Philosophi, atque illi praecipuè, qui Platonici nominantur, sibi suadentes, esse hominibus secundum naturam vim, et facultatem in ani-

(*a*) Ps. 138. v. 4. (*b*) Dan. 13. v. 42. (*c*) Isai. 41. v. 23.

anima futura praedicendi, et veteres, innatasque ideas, quae velut obtectae, sepultae, ac sópitae sunt, detegi, et suscitari; hominesque eò facilius futura praesentire, quò minùs immersas, ac ligatas in corporibus animas habuerint. Hanc ergò opinationem fidei, et rationi contrariam rejicimus.

IV. Cum verò insomnia, et oracula, et Pythonum responsa, et omnis Necromantia ad harum divinationum naturalium genus vulgò referantur, nostrum de singulis judicium statim aperiemus.

CAPUT II.

De praedictione per insomnia.

I. PHantasma à motu simulacrorum in dormientibus productum insomnium dicitur. Horum autem causa duplex: altera interna; externa alia: prima item duplex, aut animalis, aut corporalis: illa accidit, quando somniantibus nobis talia apparent spectra, qualia vigilantes saepissimè agitare solemus. Sic enim amantes amores suos frequentèr somniare, experiuntur. At corporalis ea est, cum ex diversa corporis partium dispositione in anima excitantur varia, sed convenientia phantasmata: idcircò sanguinei cantus, et voluptates; phlegmatici navigationes; colerici rixas in quiete non rarò agere videntur.

II. Causa etiam externa duplex est; una spiritualis, altera corporalis; nam et à Deo, et ab Angelo, et à daemone insomnia producuntur, atque interdum à qualitate äeris, et à coelorum, astrorumque affectione excitantur, ut opinabantur veteres. Quae à Deo, sive Angelo, aut daemone fiunt, supernaturalia vocantur, et sunt: de quibus aptiori loco pertractabimus.

III.

III. Caetera verò, quae naturalia dicuntur „ alia „ temerè, ac fortuitò occurrentia, et quae nil prorsùs significant, nec ullam cum futuris connexionem „ habent, et haec omninò rejicienda, atque spernenda sunt. Alia statum, et constitutionem, sive temperamentum somniantis indicant, et ex his solent „ Medici morborum causas investigare. Nulla autem „ sunt, quae naturaliter futura contingentia praesagiant. “ (a) Ad hanc igitur rem appositè nos erudit Ecclesiasticus: *Vana spes, et mendacium viro insensato: et somnia extollunt imprudentes. Quasi qui aprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia.* (b)

CAPUT III.

De praedictione per oracula.

I. NEC oracula, si quae naturalia sint, verae futurorum praedictiones sunt censendae. Quae igitur Delphici, Apollonis, Dodonaei, et Jovis Ammonis; Trophonii, Antri, Borystenis, Columnarum Herculis, ac caeterorum consimilium, quae vulgò referuntur, daemonum ex propria scientia conjecturae fuerunt, stultum, et incautum vulgus (c) sic decipientium; quorum vaticinia passim deprehenduntur falsa. De his enim praeclarè Tullius: „ Callidè, qui illa „ composuit oracula, perfecit, ut quodcumque ac„ cidisset, praedictum videretur, et hominum, et tem„ porum definitione sublatâ, adhibuit etiam látebram „ obscuritatis. “ (d)

II. Pythiae, sive Pythonissae, à Pythio Apollinis nomine sic appellatae, ab ipso illustrari atque af-

(a) Bona de discr. Spirit. c.16. (b) C. 34. v. 1. 2.
(c) Chrisost. Hom. 18. in Joan. (d) Lib. 2. de nat. Deor.

afflari existimabantur. Ex his enim quarumdam corpora obsidebat, implebatque Pythius, daemon scilicet, ac per eas è ventre loquebatur. Talis fuit puella illa, ex qua exire spiritum, praecepit Apostolus. (a) Istarum ergò praedictiones, atque oraculotum etiam vaticinia stultae, callidaeque superstitiones fuerunt, et idcircò reppellendae.

III. Etiam Pythones erant, à quibus Necromantia ducta est. Hi enim mortuorum animas, *Manes* videlicet, evocare, credebantur, et in assumptis corporibus apparere, sciscitatasque rerum, quae occultae, aut venturae erant, versuta, et callida responsa ab eis accipiebant consulentes. Hoc autem totum non nisi umbrae inanes erant à daemone objectae, qui harum fraudum, ac spectrorum callidissimus est, et maximus architectus, vanâ mortuorum imagine, aut specie viventium oculos illudens. Hâc igitur daemoniacâ arte lucrum quaerere, et incautos homines decipere, flagitiosi paestigiatores solebant. Ex eorum grege fuit mulier illa à Saúle consulta (b) spiritum Pythonem habens, cui nil suae malae deservierunt artes; nam Samuel, aut ejus anima virtute magici carminis adacta non fuit, nec simulacrum ipsíus effinxit Pythonissa, nec alia phantasmata concinnavit: praestitit illa facere quod Rex ab ipsa quaesierat, Samuelis nempe evocare animam; sed non fecit, nec potuit; et ut indubitatum teneatur, non posse vi ullâ creatâ cieri ita defunctorum animas, ut mortalium oculis iterùm cogantur adsistere. Totis tamen viribus contendimus, veram ipsíus Prophetae animam, corpore assumpto, Saúli apparuisse, quod et ipsa S. Historiae propria narratio, et canonica Ecclesiastici libri exigit authoritas, de Samuele sic ajentis: (c) *dormivit, et notum fecit Regi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia, delere impietatem gentis.*

CA-

(a) Act. c. 16. v. 16.18. (b) 1. Reg. 28. (c) 46.23.

CAPUT IV.

De praedictione rerum artificiosa.

I. „NEC verò ad futuros eventus, et fortui„tos casus praecognoscendos, ullae sunt artes, aut „disciplinae; sed fallaces, et vanae improborum ho„minum astutiâ, et daemonum fraudibus introductae, „ex quorum operatione, consilio, vel auxilio omnis „divinatio dimanat. (*a*) " In hoc enim divinationis genere auguria, sive auspicia, et observationes portentorum, et Astrologia judiciaria, et missiones sortium, et prognosticorum Medicinae, et Physiognomiae, cujus Chiromantia pars est, intelliguntur passìm. De quibus sequentia statuimus.

II. Divinatio, sive futurorum praedictio ex volatu, cantu, pastuque avium, aliisve consimilibus procedens, quibus accedunt inspectiones extorum in sacrificiis, et viscerum animalium considerationes, *augurium*, vel *auspicium* nominatur. Haec autem omnia vana, ridicula, inutilia, supersticiosaque sunt; quorum si aliquod exitum habuerit fortassè felicem, casui, et non arti tribuendum omninò est.

III. Atque Abraham fuisse augurem, fas non est cogitare. Quod verò ille vaccam, capram, et arietem per medium diviserit, non autem turturem, et columbam; quodque volucres super cadavera descendentes abigerit, et occumbente sole, sopor, ac horror magnus super ipsum invaserit, (*b*) haec, Deo praecipiente, ac dirigente, facta sunt, quorum unumquodque mira, et singularia portendebat sacramenta.

IV. Etiam Joseph hâc augurandi arte excelluisse, impium est credere. Idcircò verba illa Geneseos (*c*):

B Scy-

(*a*) Sixtus V. in const. contr. Astrol. (*b*) Gen. 15. (*c*) 43. 6.

scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, et in quo augurari solet, non de augurandi scientiâ propriè acceptâ; sed impropriè, ac per translationem de quovis modo praesagiendi futura, et ostendendi occulta, sunt intelligenda. Altera praeterea ipsíus Joseph suis fratribus objicientis verba: *¿an ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?*, (a) aut per jocum, et non seriò fuerunt dicta, ut SS. Augustino, et Thomae videtur: (b) aut per simulationem, judicibus in exquirendis rationibus non obsoletam, ut opinantur Theodoretus, et Melchior Canus: aut denique non propriè, ac strictè augurandi verbum accepisse, credendum est; sed lato sensu pro quavis futura, et occulta praesentiendi facultate, sive à Deo, aut ab Angelo illa procedat: quod viro clarissimo Benedicto Pererio magis placuit, et nobis probabilius videtur.

V. Portenta autem in duplici genere collocantur: alia sunt vera, divina, mirabilia; alia verò falsa, diabolica, vana. Quae Deus rerum omnium sapientissimus gubernator, eventum aliquod indicaturus, solet efficere, ad primum genus revocantur. Talis fuit atra illa manus, quam scribentem: *Mane, Thecel, Phares* in pariete vidit impius Balthasar, (c) dum lautam ageret coenam; tenebrae etiam, quae, moriente Christo, operuerunt terram; ac caetera, quae in Evangelica Historia narrantur mirabilia: et equites per äera discurrentes, phantasmataque alia Jerosolimitanum excidium ab Antíocho portendentia. Quibus annumeranda sunt portenta illa ultimam civitatis, ac templi vastationem à Romanis, Jerusalem invadentibus, significantia: sydus videlicèt gladio simile supra civitatem apparens; vacca in medio templi agnum enitens; aereaque templi janua immensi ponderis noctu sponte patefacta, unde *securitatem templi ultrò abiisse, secum*

co-

(a) Ibid. (b) Quaest. 114. in Gen. et 2. 2. q. 95. a.7. (c) Dan. 5.

cogitabant (*a*) Hebraeorum sapientes: atque tandem cruces illae, quae Angliae (*b*) tempore Elisabethae, Britannorum Reginae, in coelo apparuerunt. Ostendebant sanè catholicorum imminentem persecutionem, et martyrum supplicia pro fide Romana patientèr sufferenda; ut vir satis eruditus, et pius non obscurè demonstrat. (*c*) Horum ergò, et omnium portentorum à Deo accipienda est vera interpretatio.

VI. Quae autem vulgò creduntur prodigia, vana, fortuita, aut diabolica sunt, et omninò respuenda: qualis utique fuit magnus ille gallinaceorum cantus, ex quo Thebanorum victoriam, fertur, fuisse praevisam: qui sanè cantus, ut scitè Cicero, portentum fuisset, si cecinissent pisces. De his omnibus nulla quaerenda interpretatio, quippe inutilis, vana, et supersticiosa est.

VII. Nec etiam per sortes futura quaelibet praesentiri, aut occulta cognosci possunt. Si quae igitur in Scripturis leguntur, (re verâ leguntur) has Dei consilio in re maximì momenti missas fuisse, credendum est. Sicque effatum illud Salomonis: (*d*) *sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*, intellectum esse, volumus. De caeteris verò idem judicium, ac de portentis vulgò receptis ferendum est, et in quibus, ut praeclarè S. Thomas, *peccatum intercedit, si quis etiam in necessitate absque reverentia Dei sortibus utatur*. (*e*)

VIII „Astrologi verò, olim Mathematici, Ge-„nethliaci, et Planetarii vocati, qui vanam, falsam-„que syderum, et astrorum scientiam profitentes, di-„vinaeque dispositionis ordinationem, suo tempore re-„velandam, praevenire audacissimè satagentes, homi-„num nativitates, seu genituras, ex motu syderum, „et astrorum cursu metiuntur, et judicant futura,:: non „sine magno periculo erroris; et infidelitatis sunt.“ (*f*)

(*a*) Joseph de bello l. 6. 5. (*b*) Sanderus Ribaden. lib. 3. de schismat. anglic. (*c*) F. Alfonsus Chacon. tract. de crucib.
(*d*) Prov. 16. 33. (*e*) 2. 2. q. 95. 8. (*f*) Sixt. V. in ead constit.

Turpissimè igitur falluntur ii, qui Judicum verba: (a) *de coelo dimicatum est contra eos, stellae manentes in ordine, et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*, de astrorum affectione, ac de futurorum per eadem significatione intellexere.

IX. „ Alii etiam Geomantiae, Hidromantiae, Aë„ romantiae, Pyromantiae, Onomantiae, Chyroman„ tiae, Necromantiae, aliisque sortilegiis, ac supers„ titionibus, non sine daemonum saltem occulta so„ cietate, aut tacita pactione operam dare ::: non ve„ rentur. " (b) Decipiuntur Chyromantici, sequentia Jobi verba: (c) *qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua*, de Chyromantia interpretantes.

X. Denique omnes hae divinationes ex falsa, vanaque opinione procedunt; supersticiosae, atque illicitae sunt, ut docet S. Thomas, (d) ideoque rejiciendae; namque in illis semper se ingerit daemonis operatio, ut hominum animas ad vanitatem, et falsitatem impellat. Quamobrem Israëlitico populo omnis divinatio meritò interdicta fuit, eamque vehementer execratur Deus.

XI. Satis, superque sit de Divinatione: superest ergò ut de Prophetía loquamur. De qua, cum multa, subtilia, scituque digna inveniantur, ut promissimus, sermo progredietur longiùs.

PARS

(a) 5.20. (b) Id.Sixt.ibid. (c) 37.7. (d) 2.2.q.95.à 5.

PARS II.

De Vaticinio supernaturali, sive de Prophetia.

CAPUT I.

De existentia Prophetíae.

I. FUere quidam Philosophi, et hi quidem magni, atque nobiles, qui veras praesensiones, ac praedictiones rerum futurarum, Prophetías nempe, agnoverunt. Haec autem Philosophorum sententia, cum ex divinitatis notitiâ, ideâque procederet, de ejus natura inter ipsos summâ cum dissensione certabatur: Prophetíam tamen esse, nemo illorum omninò negavit. Qualis verò esset, ex quaque caussa procederet, dissidium non leve fuit. Quamobrem alii ab intelligentiis, Angelis scilicet, initium ducere: alii autem à superiori intelligente potestate, Deo videlicet, immediatè procedere, sentiebant. Itaque deridenda potiùs, quam opugnanda Epicureorum amentia, omnem prorsus futurorum scientiam respuéntium; qui eò pervenere, ut non solùm veram ullam praedictionem aliquando extitisse, sed possibilem esse, impudentissimè inficiarentur.

II. Horum derilamentum fidei, et rationi adversum judicamus, verasque Prophetías jam usque ab ipsíus mundi exordiis extitisse, permansurasque donec saecula extinguantur. Deus enim sapientissimus gubernator omni tempore hominibus providit convenientia auxilia, quibus arcana sapientiae suae sacramenta, quomodo ei placuit, misericors iisdem revelavit.

III. Ex praecipuis, quae ipse largitus est auxilia,

lia, unum est Prophetíae donum, quod in veteri lege abundè dedisse, Prophetarum libri praeclarè convincunt; temporibus autem gratiae uberiùs: et tunc, Petro Apostolorum Principe interprete, (*a*) usque ad summum impletum fuit Joélis effatum: *effundam spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae: senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt.*

IV. Hujus abundantioris doni testes locupletissimi sunt Agabus, quatuor Philippi virgines filiae, ac plerique alii Evangelicae Legis Prophetae. (*b*) Quibus addere licet SS. Columbanum, Gerardum, Franciscum Xaverium, Brigittam, Teresiam, innumeros, quos ad nostra usque tempora Prophetíae dono claruisse, (*c*) non nisi audacissimè, et impiè quisquam inficiabitur.

V. Nec verba Servatoris nostri: *omnes Prophetae, et lex usque ad Joannem prophetaverunt*, (*d*) praedictis officiunt. De iis Prophetis re verâ intelligenda sunt, qui ejus adventum praedixere, ut clarus vir Maldonatus longè, latèque ostendit.

CAPUT II.

De Variis Prophetíae nominibus, et acceptionibus.

I. LIbris canonicis multiplices, variasque appellationes sortítur Prophetía. Saepissimè *Visio*; aliquando *Auditus*, sive *Auditio*; non raró *Verbum Dei*; *Oraculum* etiam nuncupatur. Exempla communissima sunt, passimque reperiuntur; idcircò silentio praeterire, volumus. A sensibus enim, per quos illa recipitur,

(*a*) Act. 2. 16. 17. 28. (*b*) Act. 11.
(*c*) Bened. XIV. lib. 3. de beat. c. 47. (*d*) Math. 11. 13

tur, aut ab eorumdem actibus, quibus enuntiatur, has omnes adscivit denominationes. Unâ etiam, alterâque vice *Onus* appellatur, cum dura, graviaque hominibus minitatur supplicia. Denique non semèl *Stillatio* reperitur inscripta; (*a*) propterea quod non totam Dei simul inferat iram, sed parvas stillas commininatione denunciet; aut quia ad pluviae similitudinem fluat, et ad aures audientium veniat. Sed quod priùs retulimus, magis Scripturae consuetudini congruit.

II. Quod attinet ad Prophetae nomen, diversas in Scripturis patitur acceptiones. Divinae voluntatis interpretes, (*b*) verbi Dei praecones, atque Doctores nuncupantur Prophetae. Hâc de causa Aaron à Domino dicitur Propheta Moysis. (*c*) Religiosis etiam viris, Deumque verè colentibus ipsum nomen tribuitur. Sic intelliguntur, quae de Abrahamo ad Abimelech fuerunt dicta: *redde viro suo uxorem, et orabit pro te, quia Propheta est, et vives.* (*d*) Et cum Achab Carmeli monte omnes Prophetas congregasse, dicitur, et omnes, qui reperiri potuerunt, Jezabelis jussu esse occisos, et ex iis centum Abdiam abscondisse, viros pios, et Deo servientes intelligamus, opportet.

III. Insupèr prophetare, dicuntur, qui divinas laudes modulantur, et qui portentum aliquod, et supra naturam insolitum operatur. Sic enim filii Asaph, et Heman, et Idithun in cítharis, et psalteriis, et cymbalis prophetabant. (*e*) Et planè intelligitur illud de Saúle dictum: *et factus est etiam super eum Spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat.* (*f*) Non futura praedicebat, aut occulta, incertaque sapientiae divinae enunciabat; sed tantùm hymnos, laudesque Deo decantabat. Et quia Elisei ossa, eorum contactu mortuus revocatus est ad vitam, prophetasse, legimus. (*g*)

IV.

(*a*) Amos. 7. 16. (*b*) Eccli. 24. 46. et 1. ad Cor. 14. 13.
(*c*) Exod. 7. 1. (*d*) Gen. 20. 7. (*e*) 1. Paral. 25. 1.
(*f*) 1. Reg. 19. 22. (*g*) Eccli. 48. 14.

IV. Denique viri phanatici insolita, inepta, alienaque effutientes, appellantur Prophetae: sic Sacerdotes Baal ab Elía nominantur Prophetae, et Saul à daemone exagitatus domi prophetabat. (*a*)

CAPUT III.

De natura, ac essentia Prophetíae.

I. PRophetía igitur, ut Casiodoro videtur, (*b*) est „ inspiratio, vel revelatio divina rerum à nobis „ procul distantium eventa immobili veritate, maxi„ mâque certitudine praenoscens, atque denuntians.“

II. Caeterùm *Prophetiae spiritus non semper Prophetarum mentes irradiat*, (*c*) egentque propterea ut continuò, aut novâ afflentur inspiratione, ut prophetare valeant: hinc apud ipsos illa tam crebrò repetita phrasis: *Haec dicit Dominus*: *Verbum Domini*, et similia.

III. Hic etiam spiritus nonnumquam deficit à Prophetis, qui aliquando „ dum consuluntur, ex mag„ no prophetandi usu quaedam ex suo spiritu pro„ ferunt, et se haec Prophetíae spiritu dicere, suspi„ cantur: sed quia sancti sunt, per Spiritum Sanc„ tum citiùs correcti, ab eo, quae vera sunt, audiunt, „ et semetipsos, quia falsa dixerunt, reprehendunt.“ (*d*) Haec Gregorius. Quae S. Doctoris sententia exemplo Nathan (*e*) evincitur apertè. David enim templum Domino extruere cogitans, gratum Deo fore consilium, sine ulla dubitatione asseruit Propheta; in quo tamen quam deceptum Nathan probavit eventus. Paulò post quod edixerat, Dei monitu revocavit, et à proprio spiritu cognovit suggestum. Cumque alia in Scripturis

(*a*) 1. Reg. 18. 10. (*b*) In praef. sup. Ps. (*c*) Greg h. 1. in Ezeq. (*d*) Greg. ibid. (*e*) 2. Reg. 7.

ruris non facilè reperiantur exempla consimilia, Origenis sententiam, qui ea existimavit freqüentiora, expungi debere, judicamus.

IV. Ergò ad Prophetíam illustratio divina prorsus est necessaria, ut ea humanae menti objiciat cognoscenda, quae naturae viribus attingi, nequaquam possunt: praeterea verò, mentem, atque intelligentiam novâ quâdam, et coelesti luce perfundat, et naturalem intelligendi vim roboret, ac vegetet; ita verò, ut ipsíus facultati sese accommodet, ejusque functiones non impediat, sed juvet, et promoveat. Sicque moti, et à Spiritu Sancto edocti didicerunt Prophetae, quae ventura erant, et certum tempus, et modum eorum, quae praenuntiabant. Atque de hocce argumento decretoria sunt Petri Apostoli verba, (a) de veteribus Prophetis sic alloqüentis: *Exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in vobis gratiâ prophetaverunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi.* Quibus sanè verbis etiam Montani, et Priscilliani vesania refellitur, qui Prophetas, ajebant, tamquam arreptitios minimè intelligentes, quae dicerent, sua vaticinia edidisse. Exquirere enim, et scrutari, intelligentis est, et cupientis, ea, quae exquirit, et investigat, planiùs, atque apertiùs cognoscere. *Inspiratio Omnipotentis*, ait Job, (b) *dat intelligentiam*: et *qui Propheta dicitur hodiè, vocabatur olim videns*: (c) *quia videbat ea, quae caeteri non videbant, et perspiciebat ea, quae in mysterio abscondita erant*: ut rectè explicat Isidorus. (d)

V. Atque Prophetas, quorum mens divinitùs illustratur, non solùm ea, quae sibi revelata sunt, cognoscere, sed etiam de ipsa revelatione divina certitudinem habere, statuéndum est: itaque quid divino, humanove spiritu Prophetae loqüerentur, dono, aut gratiâ discretionis discernebant. Quapropter Propheta-

C rum

(a) 1. C. 1. 10. 11. (b) 32. 8.
(c) 1. Reg. 9. 9. (d) lib. 7. Etym. c. 8.

rum primi, et secundi ordinis distinctio, quam duo Anónymi Galli (*a*) excogitarunt, quâque contendebant, et esse Prophetas, qui semper vera, et quae tantùm Divinus Spiritus eis inspiraverat, loqüebantur; et qui cum verè revelatis multa miscebant, quae proprius spiritus, aut diabolicus suggesserat, omninò est rejicienda, quia Patribus ábsona, et Theologis omnibus ignota.

VI. Tandem ad naturam veri, ac pleni Prophetae spectat, ut quae videt, audit, et alloquitur, sensum eorum introspiciat, intelligat, non ignoret. *Non est autem*, ait Augustinus, (*b*) *Propheta veri Dei et summi, qui oblata divinitus visa, vel solo corpore, vel etiam illâ parte spiritus videt, quâ corporum capiuntur imagines, et mente non videt.*

CAPUT IV.

De dignitate ac veritate Prophetiae.

I. PRophetiam inter omnia spiritualia charismata, et dona, charitate exceptâ, praestantiorem, atque digniorem esse, una est Patrum, et Theologorum concors sententia: id enim innúere videtur Apostolus, inquiens: (*c*) *sectamini charitatem, aemulamini spiritualia, magis autem, ut Prophetis.* Ipsíus dignitas ex eo maximè est repetenda, quod fidelium utilitati plurimùm inserviat, perpetuòque in Ecclesia (ut diximus) perseveret, atque per eam potissimùm coarguántur, et dijudicentur infideles, et occulta cordis eorum manifesta fiant: et tunc cadentes in faciem, adorabunt Deum, pronuntiantes, quod verè Deus est: ut per universum caput persequitur Paulus.

II. Sed cum *non voluntate humanâ allata est aliquan-*

(*a*) Traitté des Prophet. (*b*) Cont. Adim. cap. ult. (*c*) 1. Cor. 14.

quando Prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, (*a*) veram, et infallibilem credendi regulam esse Prophetíam, ortodoxâ fide sancitum est. Impudentissimè igitur mentitus est Apelles haereticus, qui, ut author est Eusebius, (*b*) Prophetías à Spiritu sibi contrario, secumque pugnante editas esse, ajebat.

III. At revelationes hae, publicae nempè, et canonicae, super quarum fundamento, docente Paulo, (*c*) superaedificati sumus, et quae continentur libris sacris, magnâ apud nos authoritate gaudent, et ad fidem catholicam spectant. Quae autem à sanctis viris, et foeminis editae sunt, et privatâ authoritate circumferuntur, etiamsi ab Ecclesia probatae, eis tamen solâ pietate, probabilique ratione cogimur, assentiri: quamobrem firmum, et efficax argumentum praecipuè in rebus fidei, et morum, praestare, nequeunt. Caeterùm ad detegendos implexos, et obscuros Scripturae sensus, non parùm utilitatis habent, et aliquando inserviunt.

CAPUT V.

De gradibus, sive speciebus Prophetíae.

I. PRophetíae spiritus multis, variisque modis attingit Prophetarum animos. Isidorus septem enumerat species, sive gradus, qui ab ipso genera appellantur. (*d*) „ Primum est ecstasis, quod est mentis excessus, sicut vidit Petrus vas submissum de coelo „ cum variis animalibus. Secundum est visio, sicut „ apud Isaiam dicitur, vidi Dominum sedentem. Tertium somnium, sicut Jacob scalam dormiens vidit. „ Quar-

(*a*) 2 Petri. 1. 21. (*b*) Lib. 5. Hist.
(*c*) Eph. 2. 10. (*d*) Lib. 7. Etym. c. 8.

„ Quartum genus est per nubem, sicut ad Moysem „ loquebatur Dominus. Quintum est vox de coelis, „ sicut de Abraham sonuit Deus, dicens: ne mittas „ manum in puerum. Sextum est acceptâ parabolâ, „ uti contigit Balaam. Septimum est repletio Spiritus „ Sancti, sicut penè apud omnes Prophetas." Haec divisio desumpta est ex modorum, et objectorum, formarumque diversitate, quibus Prophetíae spiritus communicatur.

II. Scholastici verò suo more multiplices Prophetíae divisiones, subdivisionesque statuunt, quas repetunt ex parte luminis, aut objecti, vel ex parte medii, modive, ut ipsi loquuntur. Qui subtilitatibus delectantur, grandia eorum volumina evolvere, et sui laboris fructum maximâ cum animi voluptate capere, possunt.

III. Caeterùm Augustinus omnes gradus, speciesve Prophetíae, tàm in libris de Genesi ad litteram, quàm in aliis, quibus haec opportunè pertractavit, ad tria tantùm genera revocat. „ Unum secun„ dum oculos corporis, sicut vidit Abraham tres vi„ ros sub ilice Mambre:::::: Alterum secundum quod „ imaginamur ea, quae per corpus sentimus: nam et „ pars ipsa nostra cum divinitùs assumitur, multa „ revelantur, non per oculos corporis, aut aures, „ aliumve sensum carnalem, sed tamen his similia, „ sicut vidit Petrus discum illum submitti è coelo „ cum variis animalibus. Tertium autem genus visio„ nis est secundum mentis intuitum, quo intellecta „ conspicitur veritas, atque sapientia." (a)

IV. „ Potest etiam fieri, (verba sunt Augustini „ praelaudati) ut etiam in spiritalibus, vel intellec„ tualibus multos quosdam gradus, quisquam esse „ contendat, aut, si possit, ostendat, eosque distinc„ tos juxta aliqüem provectum magis, minusve illus„ trium revelationum. Sed utcumque se ista habeant,

„ et

(a) Lib. cont. Adim. cap. ultim.

„ et accipiantur, ut libet, ab alio sic, ab alio autem sic, „ ego visorum, vel visionum praeter ista tria genera, aut corpore, aut spiritu, aut mente usque adhuc, „ vel nosse, vel docere, non possum: sed quot, et „ quantae singulorum generum sint differentiae, ut in „ unoquoque aliud alio gradatim superferatur, ignorare me, fateor.“ (*a*) Unum tantùm monet S. Doctor, quod *omnia haec genera mirificis, et ineffabilibus distributionibus exhibet, atque moderatur Spiritus Sanctus summae, incommutabilisque sapientiae.* (*b*)

V. Verùm manifestationes hae communi, et ordinariâ lege hominibus non conferuntur, nisi Angelorum ministerio: nam quae à Deo sunt, ut Paulus docet, (*c*) omnia sunt ordinata; et Divinitatis ordo exigit, (*d*) ut infima quaeque per media disponantur. Aliquando tamen, et raró hujuscémodi visiones ab ipso Deo, nullo adhibito Angelorum ministerio, re verâ perficiuntur. *Sed cum per semetipsum Deus loquitur, sola in nobis vis internae inspirationis aperitur, et de verbo sine verbo, et syllabis cor edocetur.* (*e*)

CAPUT VI.

De somnis propheticis.

I. IGitùr de somnis propheticis sermonem instituentes, non solùm muneri nostro facere satis, intendimus; sed etiam Epicureorum refellere audaciam, qui omnium quidem, et maximè divinorum somniorum, sustulere fidem, indignum putantes obire Deum lectos dormientium, ut sternentibus injiciat somnia.

II.

(*a*) Lib. 12. de Gen. ad litt. c. 29. (*b*) Lib. cont. Adim. c. 27.
(*c*) Rom. 13. 1. (*d*) Dyon. de Eccl. Hier.
(*e*) Greg. 1. mor. 28. c. 2.

II. Verùm enim verò quae mittuntur à Deo, vel per novas species intelligibiles in mentem, vel per novas imagines in phantasiam, aut certè per novam earum compositionem, quae mente jam inerant, prophetica somnia sunt, ac divina; quae cum à Deo proficiscantur, interpretationem merentur, et fidem. Horum exempla multa, et luculenta in Scripturis inveniuntur. Joseph in somnio vidit solem, lunam, et undecim stellas adorantes eum; (a) et Mardochaeus voces, et tumultus, et tonitrua distinctè audivit. (b) Insomnia haec, et alia centena, quae canonicis libris narrantur, divinitùs fuisse immissa, rerum, quas portendebant, probavit eventus.

III. Atque inter divina duo recensemus somnia, quorum unum Pilati uxori, alterum Teodosio contigit. Illa per somnium, et Christum insontem, Deique Filium esse, cognovit; et mala prospexit, quae ejus nece Jerosolimitanae Civitati erant ventura: Iste verò coronam sibi à Mileto, Antiochiae Episcopo imponi, in somnio vidit; quo intellexit, amplissimam Imperii gloriam, et potestatem ei esse paratam.

IV. Ex his, quae hucusque exposuimus, quisque facilè perspiciet, divinorum somniorum causam esse Deum: finis autem est ipsíus potentiae, ac gloriae ostensio, et ejus erga homines benignitas, et misericordia. Ob hanc igitur rem saepè saepiùs terrifica somnia in peccatorum, ac sceleratorum mentes immittuntur à Deo, (c) quibus monentur, ut resipiscant. *Terrebis me per somnia*, ajebat Job. (d) Aliquando per somnium excitantur homines ad rem arduam, et difficilem agrediendam, sed felicitèr omninò exituram; sicut Gedeoni contigit, (e) et Judae Machabaeo, (f) ut ille contra Madian, iste adversus Nicánorem commiteret praelium. Et viros fideles, ut aliquid sive assequantur, sive fugiant, non semel edoceri, Evange-

(a) Gen. 37. 9. (b) Esth. 11. (c) Gen. 20. et 31.
(d) 7. 14. (e) Jud. 7. 13. (f) 2 Mach. 15. 11.

gelicâ Historiâ comperimus. Joseph, ne discederet ab uxore, admonetur in somnio; (a) et Magi per aliud iter jubentur, in domos suas redire. (b) Haec autem omnia praeclare complexus est Eliu, inquiens: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo; tunc aperit aures virorum, et erudiens eos, instruit disciplinâ, ut avertat hominem ab his, quae facit, et liberet eum de superbia.* (c)

V. Cum verò prophetía, et divina somnia Deum habeant authorem, et aliquid per illa semper intendat, eorum interpretatio studiosè ac diligenter est inquirenda. *¿Et quis hominum poterit, scire consilium Dei? ¿Aut quis poterit, cogitare quid velit Deus?* (d) *Quae Dei sunt*, ait Paulus, (e) *nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Ergò divinitùs erudiendus, qui illa detegere, aut intelligere, cupiat: et maximè cum eorum pauca sint aperta, et clara; plurima autem obscura, aenigmatibus plena ac involuta, et quae ex sola Dei voluntate, institutioneque significant. Hoc voluit indicare Daniel, cum Nabuchodonosori somni sui intelligentiae satagenti, dixit: *mysterium, quod rex interrogat, magi, arioli, arùspices, et sapientes nequeunt indicare regi: sed est Deus in coelis, revelans mysteria.* (f)

VI. Opus tamen non est, ut somnia ritè interpretentur, divinam revelationem intercedere. Multotiès enim prudenti conjecturâ à Doctoribus explicantur, eâ scilicet ratione, et viâ, quâ aenigmata, et parabolae enodantur. Sic igitur insomnia praepositi pincernarum Pharaönis, et pistorum magistri, (g) quae, nemine dubitante, divina fuere, à Joseph dissoluta fuisse, putamus: propterea non Propheta, sed conjector à Moyse ibi appellatur.

VII. Ut huic capiti finem imponamus, praete-

re-

(a) Math. 1. 20. (b) Id. 2. 12. (c) Job. 33. 15. 16. 17.
(d) Sap. 9. 13. (e) 1. Cor. 2. 11. (f) Dan. 2. 27.
(g) Gen. 40.

reundum nobis non est, in his somnis perfectum rationis exercitium, perfectamque judicandi facultatem posse retineri, quamvis id nos communi, naturalique lege fiat; quod enim Salomonis somnio non obscurè probatur. Neque nos fugit dissidium inter Theologos fuisse, et adhuc perseverare: an in somnio re verâ ille meruerit. Affirmantem sequimur partem, et proprio Scripturae sensui inhaerentes, probabilius credimus, sapientiam, (non ante petitam) et gloriam in somno fuisse promeritum.

CAPUT VII.

De Ecstati, et Raptu prophetico.

I. SApientèr admodùm dixisse, videtur magnus Gregorius, (*a*) „ sanctos viros, qui non corpore, sed „ virtute sopiuntur, laboriosiùs dormire, quàm vigi„ lare; quoniam ab hujus mundi inquieta concupis„ centia penitùs subtrahuntur: ac dum terrenarum ac„ tionum strepitum deserunt, per quietis studium eo„ rum mens virtutibus intenta, vigilans dormit. “ Innuere enim, voluit S. Doctor, quid esset ecstasis per se. Nec illum dixisse, mireris, ab illiciente concupiscentia subtrahi eos, et actionum strepitum deserere; quippe in ecstasi perfectè dormiunt, et alto somno quiescunt; et simul vigilant, non corpore, sed mente Deo intentâ.

II. Est ergò ecstasis dormitio quaedam vigilans, seu vigilia dormiens, quâ videlicet anima à sensibus abstracta, et divina sentiens, et dormire, videatur, mundo, et vigilare Deo: vel rectiùs eam definire, possumus: elevatio mentis in Deum cum abstractione à sensibus externis, ex magnitudine ipsius elevationis proce-

(*a*) Lib. 5. M. c. 22.

cedens. Cum enim finitae virtutis, et capacitatis anima sit, quantò efficaciùs, et vehementiùs uni functioni est attenta, tantò minus aliis intendit. Undè consequitur, agente, et illuminante illam Deo, tantâ intensione Divinis rebus inspiciendis incumbere, posse, ut nec praesentia videat, nec verba propè loqüentium audiat, neque etiam ferrum, aut ignem corpori süo admotum percipiat. Tunc dicitur, ecstasim pati. „ Tunc „ *enim, ut Augustini verbis utar*, (*a*) omninò quaecumque sint praesentia corpora, etiam patentibus „ oculis, non videntur, nec ullae voces prorsùs audiuntur: totus animi contuitus, aut in corporum imaginibus est per spiritalem, aut in rebus incorporeis, nullâ corporis imagine figuratis, per intellectualem visionem. "

III. Duo ergò necessaria inveniuntur in ecstasi: vehemens occupatio interior ex divina gratia procedens, et abstractio externa ab omni sensuum usu, quae ex illa priori quasi naturaliter emanat, ut rectè explicat Doctor Angelicus. (*b*) Nulla est penes hominem industria, aut solertia, quâ omnimodam à sensibus abstractionem efficere, valeat; nec tantâ intensione divinis rebus insistere, ut eorumdem externorum sensuum retineat usum. Anima per ecstasim suavissimê ad interiora colligitur, et in altissimam contemplationem veluti immersa, soli Deo attentissimè vacat.

IV. Quod attinet ad raptum, duo genera nobis refert Scriptura: unum corporis; alterum mentis. Nunc de posteriori agitur. De illo in Genesi (*c*) dictum est: *Henoch ambulavit cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et Regum quarto: (*d*) *ascendit Elias per turbinem in coelum: et Spiritus Domini rapuit Philippum.* (e) Raptum verò, de quo nobis est sermo, id solum ecstasi addere videtur, quod vim quamdam ani-

D mae

(*a*) De Gen. ad litt. lib. 12, c. 12. (*b*) 2.2.q. 175. a. 2.
(*c*) 5. 24. (*d*) 2. 11. [illegible] c.12. (*e*) [illegible]

mae inferat, eamque celerrimè, et potentissimè à sensibus avellat, et ad magnarum rerum inspectionem levet. In hoc autem posita est ejus natura, quod anima contra suae naturae modum potenter, et celeriter ad superiora feratur. Nam tunc Spiritus Domini eam apprehendit, et instar Aquilae parvum animal, quod per terram repit, abripientis, et in äera portantis, sic eam ab omni terrenorum usu abscissam secum abducit.

V. Hujus generis fuit Ezequielis raptus. *Et emissa*, inquit, *similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: et elevavit me spiritus inter terram, et coelum, et adduxit me in Ierusalem in visione Dei.* (a) Neque enim fuit corpore elevatus, aut ab eo loco, in quo erat, alio mutatus, sed spiritu, aut intelligentiâ avulsus à corpore, et à sensibus absolutus. Tales etiam fuerunt duo raptus Pauli, (b) cum ait: „ Scio hominem in Christo ante annos quatuórdecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujúsmodi usque ad tertium coelum. Et scio hujúsmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit: quoniam raptus est in Paradîsum. "

VI. Hoc etiam singulare, ac coeleste donum, aliquibus hominibus, qui sanctimoniâ claruérunt, et iis praecipuè, qui multos in Christo genuére, et pepérere filios, à Deo fuisse concesum, in ecclesiasticis monimentis scriptum reperímus: et piè credendum, multa arcana, et futura his in raptibus vidisse, et intellexisse: quod de Dominico, Francisco, Ignatio probabilissimâ ratione asserere, non dubitamus. Raptum fuisse Dominicum, testatur Surius, (c) qui cum in Missa Corpus Christi purissimis manibus in altum levaret, cunctis, qui aderant, spectantibus, et stupentibus, ipse pariter cubiti uníus altitudine à terra elevatus fuit. Raptum quoque Franciscum, „ qui, *ut Bonaventura* „ re-

(a) Act.8.39. (b) [illegible] Cor.12. (c) In ejus vit. libr.2.c.6.

„ *refert*, (*a*) visus est nocte manibus admodùm cru„cis protensis, toto corpore sublevatus à terra, et „nebulâ quadâm fulgente circúmdatus, ut illustra„tionis mirabilis intra mentem, mira circa corpus per„lustratio testis esset. " Etiam Ignatium: nam factum est aliquando, ut alienatus à sensibus, et elevante spiritu sárcinam corporis, quatuor circiter cubitis à terra sublimis conspiceretur; et quidem ex consortio sermonis Domini totâ facie mirum in modum radiante. (*b*) Et tandem virginem Teresiam freqüentèr raptam fuisse, fatentur omnes piè, et rectè de religione sentientes. (*c*)

VII. Cum in ecstasi, vel raptu anima dicitur, à corpore, aut à sensibus abscindi, non ita intelligendum, quasi ab eo discedat, et iterum ad ipsum informandum regrediatur, ut placuit quibusdam Platonicis. Utrùm autem hoc aliquando acciderit, incerta, et difficilis est quaestio, quam definire non audemus; et maximè cum Paulus, an in corpore, vel extra corpus raptus fuerit, se nescire, fatetur. (*d*) Alteram verò multùm, diùque agitatam quaestionem, an scilicet hujúsmodi discessus saltèm possibilis sit, non est operosius dirimere, etsi litigantium aequalia videantur pondera, sive rationum momenta: iis tamen assentimur, qui affirmantem partem tuentur, quia cum Dei potentia minimè pugnat. Idem judicium ferendum est de illa, quae charitatis, et aliarum virtutum actus in ecstasi, vel raptu exerceri posse, statuit.

VIII. Ne aliquis nobis objiciat, nil expositum esse de iis, quibus tanquam instrumentis ecstasis, vel raptus fiat, licèt ex superioribus satis apareat, agente Deo, animam excedere, et à sensibus alienari, haec tantùm ex Richardo (*e*) addere, consultò decrevimus. Ait ergò: „ tribus de causis animam in alienationem „ adduci, aut prae magnitudine devotionis, aut prae „mag-

(*a*) In vit. c. 10. (*b*) Maff. lib. 1. c [illegible] Vid. ejus vit.
(*d*) 2. Cor. 12. (*e*) Lib. 5. de c. c. 12. (*c*) 28. [illegible] c. 2.

„ magnitudine admirationis, aut prae magnitudine exul„ tationis. Primum ornat affectum: secundum illumi„ nat intellectum: tertium ad utrumque consequitur. "
Tu verò eum consule.

IX. Horum quaelibet mira et insolita in corpore operatur: nam omnis calor intrò recipitur; frigidum ac rigidum, et ineptum ad se movendum redditur. Propterea in ecstasi, vel raptu, aut sedet, aut jacet, aut in loco, ubi erat, ceu columna quaedam immotum perstast. Interdùm procumbens, super faciem prosternitur: aliquando vi spiritus in äera levatur; saepè saepiùs brachia, et manus sursùm attollit, vel aliis modis insuetis vehementiam interioris motionis ostentat. Ex iis aliqua expertus est Daniel; (*a*) nam et ipse ait: *vidi visionem grandem hanc*; *et non remansit in me fortitudo, sed species mea immutata est in me, et emarcui, neque habui quidquam virium.* Et Joannes de Angelo, qui sibi apparuerat, loqüens: (*b*) *cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus.* Quod Ignatio Lojolensi accidit, ut ejus Canonizationis acta testantur. (*c*) Siquidèm à Completorio Sabbati, ad alterum usque proximi Sabbati Completorium in altissimo quodam excessu tamquam mortuus perstitit; quem útiquè terrae mandassent pii quidam homines, nisi rem diligentiùs contemplati, ac pertentato corpore, latentem in eo vitam, ex tenui cordis palpitatione sensissent.

X. Licèt corpus ista patiatur, anima tamen nihil inordinatum sentit, ut Gregorius ait; (*d*) sed illustratione divinâ, et ineffabili suavitate referta, divina arcana, aut futura cognoscit per visionem imaginariam, vel intellectualem, de quibus statim.

CA-

7. (*c*) Boland.in vit. (*d*) Ubi sup.

CAPUT VIII.

De visionibus Propheticis.

I. AUgustini sententiâ superiùs tradidimus, tria esse visionum genera: „ et nunc (*liceat*, *uti verbis S.* „ *Doctoris*) breviter eis insinuatis, quoniam suscepta „ quaestio flagitat, ut de his aliquanto uberiùs dissera-„ mus, debemus ea certis, et congruis signare nomini-„ bus, ne assiduè circumloqüendo, moras faciamus. Pri-„ mum ergò appellemus corporale, quia per corpus „ percipitur, et corporis sensibus exhibetur. Secundum „ spiritale; quidquid enim corpus non est, et tamen ali-„ quid est, jam rectè spiritus dicitur; et utique non est „ corpus, quamvis corpori similis sit, imago absentis „ corporis, nec ille ipse obtutus, quo cernitur. Tertium „ verò intellectuale ab intellectu, quia mentale à mente. „ Tria igitur ista genera visionum singilatim consideran-„ da sunt, ut ab inferioribus ratio ad superiora cons-„ cendat. “ (*a*)

II. Quando autem corporeae, sive sensibiles visiones contigant, explicat ipsemet Augustinus. „ Cum vi-„ gilantes, *ait*, neque mente à sensibus corporis aliena-„ tâ, in visione corporali sumus, et interiùs ab his om-„ nibus (*imaginariis*) ita discernimus illa corporalia, „ quae videmus, et in quibus praesentibus sunt sensus „ corporis nostri, ut non dubitemus, haec esse corpo-„ ralia, illa verò imagines corporum. “ (*b*)

III. Modus verò, quo hae visiones perficiantur, egregiè, ac luculenter docet Gregorius. (*c*) „ Aliquando, „ *ait*, imaginibus, et ante corporeos oculos, ad tempus „ ex äere assumptis, per Angelos loquitur Deus: sicut „ Abraham non solùm tres viros videre, potuit, sed

„ etiam

(*a*) Lib. 12. de Gen. ad litt. c. 7. (*b*) Ib. c. 12. (*c*) 28. Moral. c. 2.

„ etiam habitaculo terreno suscipere potuit, et non so-
„ lùm suscipere, sed eorum usibus etiam cibos adhibe-
„ re. Nisi enim Angeli quaedam nobis interna nuntiantes,
„ ad tempus ex äere corpora sumerent, exterioribus
„ profectò nostris obtutibus non apparerent: neque ci-
„ bos cum Abraham caperent, nisi propter nos solidum
„ aliquid ex coelesti elemento (*puriori äere*) gestarent.

IV. Aliud autem genus visionis, quod Augustinus spiritale vocat, et nos imaginarium dicimus, est illud, quo imaginationi aliquid spectandum proponitur. Efficitur enim per species, seu figuras, et imagines rerum, quas in phantasia existentes habemus, et sensibus externis hausimus, quae supernâ virtute ita ordinantur, ut propositum objectum clarè, et perspicuè exprimant, infusâ tamen divinâ luce, ad intelligendum quid significet.
„ Sunt visiones, *ait ipsemet Augustinus*, quae apparent
„ spiritui tamquam corporis sensibus, non solùm dor-
„ mientibus, vel furentibus, sed aliquando sanae men-
„ tis vigilantibus: non per fallaciam illudentium daemo-
„ num, sed per aliquam revelationem spiritalem, quae
„ fit per formas incorporeas, corporibus similes. “ (*a*)

V. Hanc eamdem rem distinctiùs explicat Joannes â Cruce. (*b*) „ Sciendum est, *ait ille*, quod quemadmo-
„ dum quinque exteriores sensus imagines, et species
„ objectorum suorum phantasiae, et imaginationi pro-
„ ponunt, et repraesentant; ita possunt absque exterio-
„ rum sensuum interventu easdem species, et imagines
„ multò vivaciùs, et perfectiùs supernaturaliter reprae-
„ sentari, quemadmodùm passim in sacris litteris appa-
„ ret; ut cum Deus gloriam suam manifestavit inter Se-
„ raphicos Spiritus, qui alis velabant facies, et pedes: et
„ cum ostendit Jeremiae virgam vigilantem; Danieli
„ alias visiones. “

VI. Atqui non solùm per adquisitas rerum species hoc visionis genus perficitur; sed etiam per novas à Deo, vel Angelo immissas imagines phantasiae, quae adeò

(*a*) Epist. 101. (*b*) Asc. Mont. Carm. l. 2. c. 16.

adeò firmiter inhaerent, ut ab eis distrahi, et averti pro libito nequeat; et si aliqua intersit persona, sic phantasiam percellit, et movet, ut et oculis corporis aspici, et vox ejus auribus percipi, videatur. Trita, et notissima in Prophetis Isaía, Ezequiele, Zacharia, et Joanne reperiuntur exempla, quae propterea consultò praetermittimus.

VII. Illud interea est observandum, non semper ea, quae in propheticis visionibus offeruntur, per proprias objectorum imagines referri; sed multotiès per apposita quidem symbola, et aenigmata cernuntur, ut Ezequieli, Joanni, aliisque contigisse, novimus. Quapropter omnia in eis contenta, sive oblata diligentiùs sunt consideranda, quippe in ipsis nil certè apparet, quod veram sibi non vindicet significationem. Pro rei claritate exemplum sit Danielis visio. (*a*) *Aspiciebam,* :::::: *et antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum, quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda; thronus ejus flammae ignis, rotae ejus ignis accensus. Fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie ejus.* Senili specie apparuit antiquus dierum, ut aeternitatem suam ostentet: vestimento candido amictus, propter purum, sincerumque judicium, quod in judicando exercet, ut rectissimus Judex: albis capillis ornatus, propter judiciorum summam sapientiam, maturitatem, et aequitatem: throno insidens, propter supremam majestatem: igne circúmdatus, propter operandi efficaciam: igneis rotis vehitur, quia omnia celeriter, et absque ulla temporis mora lustrat, et videt: fluvius igneus, rapidusque egrediebatur à facie ejus, quia ultio cognitione, et discretione à divino Judice in improbos decreta, festina venit. Hinc facili labore quisquam eliciet, Deum apparere eo modo, atque habitu, qui praesenti rerum statui, aut rei, cujus gratiâ se ostendit, accommodatior est. Idcircò à Moyse conspicitur in ardenti rubo, ut innueret, uri se, pungique graviter iis incommodis, quibus apud Aegip-

tios

(*a*) 7. 9.

(*d*) In ejus vit.

tios premebatur populus. Amos apparet super murum cum trulla caementarii, quia de vastitate sermo erat: et à morienti, vel potiùs pugnanti Stephano stans videtur, quasi cum illo simul pugnaturus.

VIII. Duo autem supersunt, quae silentio premere, non debemus. Alterum est, ferè omnes Prophetarum visiones fuisse imaginarias, et in oblatis speciebus ventura prospexisse. „Ibi, *ait Augustinus, de his visioni-* „ *bus loqüens,* (*a*) etiam videntur futura, ita ut omninò „ futura noscantur, quorum imagines praesentes viden- „ tur, sive ipsâ hominis mente divinitùs adjutâ, sive „ aliquo inter ipsa vissa, quid significent, exponente." Sic igitur Jeremías (*b*) in olla succensa à facie Aquilonis versùs Jerusalem, futuram Hebraeorum vastationem vidit: et Daniel (*c*) in quatuor bestiis ascendentibus è mari, quatuor Orbis imperia, quae diverso tempore floruerunt, et eorum vicissitudines cognovit, et aliaequidem multae imaginariae, quorum catalogum texere, prolixum est opus.

IX. Alterum verò est, Deum numquam per se apparere, nisi alicujus Angeli ministerio, vices ejus gerentis: et omnes penè visiones, in quibus spectandum se praebuit, impersonales fuerunt, ut communis Theologorum fert opinio: sed inter alias excipimus illam Isaíae praecipuam, quâ per convenientia symbola Deum Patrem, et Verbum ejus, et utriúsque Spiritum primò per corporalem visionem, postea per imaginariam, et tandem per intellectualem (non intuitivam) Triadem in Monade, et Monadem in Triade vidit.

X. Postremum visionis genus est intellectuale, quod omninò spirituale est, et non in sensu exteriori, non in phantasia, seu imaginatione, sed solo in intellectu perficitur. Est etiam et omnium praestantissimum; nam visione intellectuali mens nostra omne corpus, omnesque corporeas imaginationes, ac similitudines transcendit, et in ipsa veritatis luce requiescit. Haec autem visio cum

ab

(*b*) c. 1. (*c*)c. 7.

ab Augustino ineffabilis vocitetur, (*a*) eàm exponere, te merè aggrederemur. Quapropter id tantùm addere, pos sumus, quod ipsemet S.Doctor nobis reliquit. Siquis ver objiciat, saepiùs nos ad Augustinum confugere, memin rit, Parentum labores filiorum haereditatem esse. Sic igi tur ille divino, quo pollebat, ingenio matri suae causam et modum hujus visionis enarrans, eam describit. (*b*) „ S „ cui sileat, *ait*, tumultus carnis; sileant phantasiae ter- „ rae, et aquarum, et äeris; sileant et poli; et ipsa sib „ anima sileat, et transeat se, non se cogitando; silean „ somnia, et imaginariae revelationes, omnis lingua, et „ omne signum, et quidquid transeundo fit, si cui sileat „ omnino; quoniam si quis audiat, dicunt haec omnia „ non ipsa nos fecimus, sed fecit nos, qui manet in aeter- „ num. His dictis, si jam taceant, quoniam erexerunt au- „ rem in eum, qui fecit ea, et loquatur ipse solus, non „ per ea, sed per se ipsum; aut audiamus verbum ejus, „ non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, nec „ per sonitum nubis, nec per aenigma similitudinis; sed „ per ipsum, quem in his amamus, ipsum sine his audia- „ mus, sicut nunc extendimus nos, et rapidâ cogitatione „ attingimus aeternam sapientiam super omnia manen- „ tem; si continüétur hoc, et subtrahantur aliae visio- „ nes longè imparis generis, et haec una rapiat, et absor- „ beat, et recondat in interiora gaudia spectatorem „ suum, ut talis sit sempiterna vita, qualis fuit hoc mo- „ mentum intelligentiae, cui suspiravimus. ¿nonne hoc „ est, *intra in gaudium Domini tui*? " Haec ille, cujus verba non ab homine, sed ab Angelo videntur prolata. Ergò intellectualis visio in apice mentis tantummod perficitur.

XI. Divinum hoc, et ineffabile donum aliquibus piis hominibus sanctimoniâ praestantibus aliquando fuit concessum. De Moyse, et Paulo asserit Augustinus: (*c*) de Benedicto affirmat Gregorius: (*d*) de Francisco refert Bo-

 na-

(*a*) Lib. 12. de Gen. ad litt. (*b*) Lib. 9. Confes. c. 10.
(*c*) Ubi cup. (*d*) In ejus vit.

aventura: (*a*) de Virgine Teresia ipsamet testatur : (*b*) mmò et Alvarezius credidit de Ignatio. (*c*) Hinc illud ab pso totiès repetitum : ut etiamsi nulla extarent Christiaae religionis monumenta, vel testimonia, nequaquam amen dubitaret ex iis tantummodò, quae, Deo sibi periente, cognoverat. (*d*)

CAPUT IX.

De Prophetíae subjecto.

I. DEum non respicere, nec aetatem, nec sexum, nec personarum conditionem, Pauli testimonio conscii sumus; (*e*) et nullum esse ipsíus donum, quod in improbis quoque esse, non possit, preter gratiae sanctificantis spiritum, Theologorum omnium stabilitum est dogma. Quapropter omnis intelligens, et creata natura Prophetíae capax esse, valet. Samuel, et Daniel adhuc pueri Prophetíâ claruerunt : María soror Moysis, et Elizabeth illustres fuerunt Prophetissae : sceleratus Balaan praeclarum de Christo edidit vaticinium : et etiam quaedam mulieres gentiles, quas Sybillas vocant, et *quarum insignis virginitas fuit, et virginitatis fuit praemium divinatio,* ut Hieronimus ait, (*f*) multorum sententiâ à Divino Spiritu instructae, quaedam de Christo prophetarunt.

II. Nulla verò est naturalis dispositio, nullaque ..., aut solertia, quâ Prophetíae spiritus comparari, ...at. Si inter naturalia sunt aliqua, quibus homo ad...us, ad vaticinandum excitet spiritum, Musice pres...t : „ hâc enim, *ut author est Rupertus*, (g) spiritus „ hominis intùs movetur, et concussis penetrabilibus „ cordis sensu divinae laudis, gratiâ Spiritus Sancti susci-

(*a*) Ubi sup. (*b*) In vit. c.27. (*c*) Lib. 5. p. 3. c. 14.
(*d*) Boland. in vit. (*e*) Ephes. 6. 9.
(*f*) Lib. 1. cont. Jovin. (*g*) In 4. Reg. 3. 15.

„ citatur.“ Hinc viri pii ad affectus in contemplatione excitandos, Musices concentus, ac modulationes saepiùs adhibuere: et Eliseus divino spiritu afflari cupiens, psaltem praecepit, sibi adduci, quo pulsato, *cumque caneret, facta est super eum manus Domini*, (*a*) et multa prophetavit.

CAPUT X.

De Vaticinii criterio.

I. „Discretio sanè difficillima est, *ait Augus-*
„ *tinus*, cum spiritus malignus, quasi tranquillus agit, ac
„ sine aliqua vexatione corporis, assumpto humano spi-
„ ritu, dicit quod potest; quando etiam vera dicit, et uti-
„ lia praedicat, transfigurans se, sicut scriptum est, ve-
„ lut Angelum lucis, ad hoc, ut cum illi in manifestis
„ bonis creditum fuerit, seducat ad sua. Hunc discer-
„ ni, non arbitror, nisi dono illo, de quo ait Apos-
„ tolus, cum de diversis Dei muneribus loqüeretur:
„ alii dijudicatio spirítuum. Non enim magnum est tunc
„ eum dignoscere, cum ad aliqua pervenerit, vel per-
„ duxerit, quae sunt contra bonos mores, vel regu-
„ lam fidei: tunc enim à multis discernitur. Illo au-
„ tem dono in ipso primordio, quo multis adhuc bo-
„ nus apparet, continuò dijudicatur, an malus sit.“ (*b*)

II. Ergò sola Christi Ecclesia absque ullo erroris periculo veras à falsis discernere potest Prophetías: est enim columna, et firmamentum veritatis; cujus auctoritate Augustinus motus, Evangelio credidit. Tamen Patres, et Theologi consulendi, et ii praecipuè, qui benè meriti sunt de Ecclesia, cui hoc opusculum, et omnia nostra vel dicta, vel facta sincero, et libentissimo animo subjicimus.

(*a*) 4. Reg. 3. 15. (*b*) 12. de Gen. c. 13

O. A. M. D. G